



VIII. C. 2

Ad Bibliotecam Collegii Scholasticorum
Cong. A. B. S. Pauli.
Vienna.

PIUS MANZADOR

Ex Cler. Reg. S. PAULI

DEI & Apostolicæ Sedis Gratia

Ecclesiarum Seniensis & Modruſiensis, seu
Corbaviensis canonice unitarum

E P I S C O P U S,

Sacrae Cæſareæ, & Regio. Apostolicæ Majestatis
C O N S I L I A R I U S.



Venerabilibus Fratribus, & dilectissimis Filiis, Clero,
Populoque utriusque Diœcesis Gratiam, Salutem
& Pacem.

Fuere profecta neque pauca neque levia, quæ
animum meum percellere, suspensumque at-
que attonitum tenere debuerant, cum pri-
mum intellexi me ad sublime Episcopatūs Officium ani-
marūmque vestrarum regimen vocari. Primum quidem
inter alia omnia fuit propriæ cùm vilitatis, tum imbecil-
litatis Conscientia: ut enim me ipsum nunquam igno-
ravi, ita continuò videbam nulla esse in me & pro tanta

A

digni-

dignitate merita, & pro tanto onere vires. Accessit nātæ ex hac mei cognitione sollicitudini ea, quæ à dolore sejuncta esse non poterat, recordatio, me suscepto Episcopali Munere protinūs ē sinu amantissimæ Matris, Congregationis meæ, avellendum esse, quæ me non modò filium liberalissimè educavit, & ad id omne, quidquid sit, quod eram, perduxit, verùm etiam sibi Patrem esse voluit, cùm me triennio ante universi Clericorum Regularium S. Pauli Ordinis Præpositum Generalem incredibili consensu renunciāset. Quod si verò acerbè sentiebam à Matre dividi, quæ me tantâ cum charitate complexa est, potestis existimare, quem in modum illa animi mei acerbitas accreverit, cùm cernerem me ab hac ipsa dilectissima Matre majore cum dolore dimitti: cùm ad primum mutationis hujus nuncium mœstos meorum vultus intuerer: cùm lamenta quoque aliquorum auribus perciperem, & in aliorum litteris legerem. Adhæc neque illud dissimulabo, fuisse inter hos animi mei fluctus non exiguum timorem quandam de vobis: metuebam enim nec immerito, me hominem apud vos novum, ignotum, & extraneum, minùs quoque acceptum fore, atque inde eam mihi autoritatem decedere, quæ cùm sita sit in quadam apud eos, quibuscum agendum est, potentia, firma ac diuturna virtutis opinione obtenta, ad muneric, quod suscipiendum erat, partes explendas non solùm utilis admodùm est, verùm etiam summè necessaria, præsertim cum vobis domi essent viri genere, virtute, atque eruditione præstantissimi, cum quibus me in comparationem venire nullo modo posse compertum habebam.

Verùm



Verùm ut ista omnia, quæ se animo meo non blan-
da sanè specie objiciebant, ad terrendum me & propè ab-
sterendum fortissima erant, ita alia quoque in mentem
veniebant, quibus non modicè erigebar, quæque, ut
ex oriente sole nebulas dissipari atque evanescere vide-
mus, angustias omnes atque hæsitationes ex animo pro-
pulsarunt, nam curam illam de propria imbecillitate le-
vabat non dubium divinæ vocationis indicium, etenim,
cùm cor meum non reprehenderit me, quod sacrum il-^{1.} Joan.
lud atque excelsum munus, ad quod destinabar, unquam
quæsierim, confidenter statui, talem me esse, qui non si-^{3. v. 21.}
bi ipsi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam
^{v. 4.} Aaron: qui non aliunde ascendit, sed qui intrat per ostium^{Joan. 10.}
in ovile. Itaque de Dei vocatione quasi certus, ejus
quoque opem magna cum securitate exspectandam esse
arbitratus, cogitare cœpi: Qui vocat ea, quæ non sunt,<sup>Rom. 4.
v. 17.</sup>
tanquam ea, quæ sunt, nihil eorum mihi deesse patietur,
quæ ad ejus voluntatem sanctissimam adimplendam de-
siderabuntur: & qui cœpit, ipse perficiet.<sup>Philip. 1.
v. 6.</sup>

Auxit spem hanc judicium sapientissimæ & quæ ac-
clementissimæ Principis, cuius nutu ad novum munus
capiendum arcerebatur, cuíque me tutò acquiescere po-
tuisse exploratum est. In quo quidem mirificè me con-
firmabat, quod tum forte in urbe adessem & ipse cognos-
cerem, eandem Augustæ in me voluntatem Clementi XIII.
Pontifici optimo Maximo, atque in me ultra quam dici
possit benevolentissimo maximè probari.

His solatiis animatus vici dolorem illum, quem mi-
hi, ut res omnes, quæ vehementer cohærent, sine vio-

lentia discerpi nequeunt, meus è Congregatione mea discessus attulerat, quum etiam desiderium Matris, quam amittebam, Sponsæ, cui designabar, amore leniretur, jámque minùs difficile me meis eripueram, ut vobis medarem, filios duntaxat, non item Patris officium mutaturus.

Igitur solus, quem supra memini, de vobis ipsis timor adhuc in animo perstebat, mentémque meam anticipi cura implicatam diu tenuit, sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu plurium ex vobis, non solum autem in adventu eorum, sed etiam in consolatione, quâ consolati sunt in vobis referentes nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem, quam antea metueram. Etenim cum ex narrationibus eorum, qui vestrûm huc profecti ad me invisebant, intelligerem quâm communi gaudio nuncium de mea ad vos missione accepissetis, quanta sit vestra in me immerentem benevolentia, quanta de me ornando contentio; In veritate comperi, quia non estis personarum acceptores, sed in omni gente, qui animabus vestris prodesse velit, acceptus est vobis: sapienter equidem, & pro ea, quam saluti vestræ debetis, cura præclarissimè, quemadmodum enim, qui rei augendæ vehementer intenti sunt, quamvis divitias ingentes domi congestas habeant, pecuniam tamen aliunde importatam non repudiant, ita salutis æternæ verè studiosis curandum non est, sítne civis an extraneus, à quo monita salutis vitæque christianæ, atque virtutum præsidia accipere possint. Itaque & ego

incre-

incredibili in vos studio incensus coactor nimium; donec
videam vos & amplectar, & habeam aliquem fructum ^{Rom. 1.}
in vobis, testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu ^{v. 9. &c.}
meo in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione
memoriam vestri facio, semper in orationibus meis: ob-
secrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter
habeam, in voluntate Dei veniendi ad vos. Desidero
enim videre vos: ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiri- ^{Philip. 1.}
tualis ad confirmandos vos. Et hoc confidens spero, ^{v. 25. &c.}
quia maneo, & permaneo omnibus vobis ad profectum
vestrum, & gaudium fidei: ut gratulatio vestra abundet
in Christo JESU in me per meum adventum ad vos. Tan-
tum dignè Evangelio Christi conversamini, ut cum ve-
nero & videro vos, experiar quia statis in uno spiritu
unanimes.

Unanimes dico, atque iterum iterumque dico.
Hoc enim primum omnium à Deo vobis exopto, & à
vobis ipsis requiro: nec miremini. Me oportet Chri- ^{Ephes. 2.}
stum imitari, qui veniens evangelizavit pacem. Præ- ^{v. 11.}
terea in schola Doctoris gentium enutritum & sub ejus
tutela educatum non decet alia ad vos salutatione uti at-
que hac, quâ Apostolus epistolas suas exordiri consue-
vit: Gratia vobis & Pax. Pax, quo uno verbulo omne
bonum significatur. Pax, quâ eliminata malorum om-
nium colluvies in communitates ingruit, eásque ut ut
aliâs florentissimas miserrimè devastat, sicut enim cor-
pus ab anima desertum putreficit, atque vermes in eo ena-
scuntur, ita charitate, quæ pacem operatur, deficiente,
optimi quique depravantur, & foedissimis sceleribus om-

nia implentur. Atque ut lapides in ædificio, quamdiu cohærent, & se ipsos & universam molem sustinent, se-juncti verò non solum ipsi ruunt, sed totas ædes penitus disperdunt, ita ab unione vel discordia civium non privatorum solum sed ipsius quoque reipublicæ commoda vel consistunt vel intereunt. Si qua ergo, Fratres Filii.

Philip. 2.
v. 1. &c. que charissimi, consolatio in Christo, si quod solarium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis: implete gaudium meum ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimis, id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate Superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum. Si

Rom. 12.
v. 18. &
19. fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus

pacem habentes: non vos meti ipsos defendantes Charissimi Galat. 5. mi.
v. 15. Quod si invicem mordetis, & comeditis: videte, Rom. 14.
v. 19. ne ab invicem consumamini. Itaque quæ pacis sunt, sectemur: & quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus.

Vos autem, honorabiles Fratres, Membra dignissima Capitulorum meorum, vos, animarum Curatores, i. Petr. 5. qui per ambas Diœceses dispersi pascitis, qui in vobis est, gregem, vos, Sacerdotes tam regulares quam Coloss. 4. saeculares, ministri Christi, & adjutores mei in Regno v. 11. Rom. 15. Dei, obsecro per Dominum nostrum JEsum Christum v. 30. & per charitatem sancti Spiritus, ut adjuvetis me primum quidem in orationibus vestris pro me ad Rom. 12. Deum, deinde verò consilio & operâ. Agite igitur v. 11. solicitudine non pigri: spiritu ferventes! jungite mecum

cum manus ad opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi. Magnum nobis negotium impositum est parare Domino plebem perfectam: Sacerdotes sanctos, magistratus æquos, conjuges concordes, parentes sollicitos, filios obedientes, juvenes modestos, virgines pudicas, viduas devotas, divites liberales, pauperes patientes, dominos benignos, servos fideles, cives quietos, christianos tanto nomine dignos. In hoc igitur Fratres dilectissimi, oculos vestros defigite: hoc vestris curis unicè dignum existimate: huic labores vestros addicite: ad hoc vigilias etiam advocate: hoc in sacrificiis vestris à Deo postulate: hoc prædicationibus, hoc vitæ illibatae atque luminosæ exemplis efficere connitamini saluti animalium providentes non coacte, sed spontaneè secundùm Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.

Me quod attinet, Fratres Filiique charissimi (iterum enim omnibus loquor) si vires mihi essent animo pares, multa vobis de me, plurima mihi de vobis promitterem, sed nondum audeo infirmitatis meæ timore prohibitus. Verumtamen intendam me ipsum, & deficiam prius, quād defatiger in obsequiis vestris, ego enim libentissimè impendam & superimpendar ipse pro animabus, quas mihi dedit Deus. Ipse autem Deus, & Pater noster, & Dominus noster JESUS Christus dirigat viam nostram ad vos. Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram in invicem & in

omnes. Intelligitis sanè, quid nunc velim à vobis.

i. Co- Cætera autem, cùm venero, disponam. Valete in Do-
rinth. 12. v. 34. mino Charissimi, & orate pro nobis.

Dabam Viennæ in Collegio Cler. Reg. S. Pauli
ad S. Michaëlem X. Calendas Martii ipso primo
die temporis acceptabilis & dierum salutis.







